



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino
Lugduni, M. DC. LXXX.**

79. An lex poenalis ex identitate rationis sit extendenda ad alios casus? Ex
p. 1. tr. 10. res. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. LXXVIII.

An lex penalis ipso facto poenam inferens obliget non solum in conscientia, sed etiam delinquens teneatur illam poenam soluere ante iudicis sententiam?

Et pro praxi queritur, an qui est causa, ne quis condemnatur ad poenam iustam impositam a lege, teneatur poenam restituere ei, cui esset applicanda: ut si Fiscus non accuset, si iudex non condemnet, si custos sylvarum, & ciuitatum non manifestet crimina, & si testis, & reus iuridice interrogatus crimen neget, &c.

Et an hoc procedat in penis, quae in testamentis apponuntur, ut si femina caste viuatur, &c.

Et an poena conuentionalis apposta in aliquo contractu sit ante iudicis sententiam soluenda? Ex part. 1. tr. 10. Ref. 21.

Sup. hoc pro parte sup. in Ref. 34. §. ult. & in Ref. 35. & 36. & in aliis eorum notationum pro quest.

Suppono duplicem esse poenam: vnam, quae aliquam actionem hominis executionem requirit: alteram, quae non requirit talem executionem; sed in sola passione, vel priuatione consistit, qualis est poena inhabilitatis, excommunicationis, priuationis vocis actiuae, &c. Hoc supposito, dico, reum non teneri, ante sententiam declaratoriam, soluere poenam, quae non potest mandari executioni absque hominis declaratione, & sententia, nisi clare appareat talem esse Legislatoris intentionem, ut velit, reum poenam illam subire ante iudicis sententiam. Ita communiter Doctores. Layman in Theol. mor. tr. 4. c. 15. n. 3. & alij penes ipsum cum Maldero in part. 2. q. 96. art. 4. membr. 4. ex quibus resoluam multos casus: sed, quia non sunt ita in praxi occurrentes, paucos de illis attingam, qui saepius occurrere solent.

2. Idem quaero, an, qui est causa, ne quis condemnatur ad poenam iustam impositam a lege, teneatur poenam restituere ei, cui esset applicanda: ut, si Fiscus non accuset, vel, si iudex non condemnet ad poenam lege praescriptam, si custodes sylvarum ciuitatum non manifestent crimina, propter quae esset imponenda poena pecuniaria, si testis, vel reus iuridice interrogatus criminis neget, ex cuius manifestatione condemnaretur ad & in Ref. 2. a multam pecuniariam, &c. Respondeo negatiue: & ita §. Tercio iudocet Granado in part. 2. contr. 7. tr. 3. part. 1. disput. 13. sect. 2. nu. 8. Vasquez in part. 2. tom. 2. disput. 168. cap. 4. num. 30. Salas de legibus, disp. 13. sect. 8. n. 105. & Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. num. 72. & 73. Emmanuel Sa verb. restitutio, num. 46. & verbo poena, n. 14. & alij penes ipsos: quia poena non debetur ante iudicis condemnationem. Quae quidem opinio est multum notanda: nam ex illa excusantur non pauci ab onere restitutionis; quia, ut dixi, non desunt viri docti, qui contrariam sententiam amplexi sunt, & onus restitutionis supradictis imponunt: sed nostra opinio probabilis est, & tutata in praxi. Notandum est tamen, supradictam doctrinam non procedere in penis, quae in testamentis apponuntur: & sic femina, cui relictum est legatum, si caste viuatur: non potest legatum recipere, si vitam turpiter traducat: nam huiusmodi poenae potius dicuntur legati conditiones, quam poenae. Ita Doctores citati.

3. Secundo quaero, an poena conuentionalis apposta in aliquo contractu, sit ante iudicis sententiam soluenda? Negatiue respondeo cum Lessio lib. 2. cap. 20. dub. 15. num. 136. Sanchez de matrimonio, tom. 1. lib. 1. c. 24. num. 4. Vasquez in part. 2. tom. 2. disput. 173. cap. 1. n. 2. & 3. & alij apud ipsos, quidquid in contrarium asserat Molina tom. 2. tract. 2. disp. 317. num. 3. Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 12. num. 228. Rebellius part. 2. lib. 8. q. 9. num. 6. & alij.

Sup. hoc infra in tr. 8. Ref. 33. &c.

Sup. hoc infra in fin. Ref. 107. & inferius in tr. 1. Ref. 25. in princ.

RESOL. LXXIX.

An lex penalis ex identitate rationis sit extendenda ad alios casus? Ex p. 1. tr. 10. Ref. 26.

Affirmatiue videtur respondendum, maxime si Sup. doctrina in ea sit ratio illa expressa, & si lex illa sit lata in animae fauorem ad vitanda peccata: & ita ex multis notauit Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 42. n. 4. & ex parte Sa verbo Lex, n. 9. & alij.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse putato, quam docet Salas de legibus, tract. 14. disp. 21. sect. 13. cum in fin. num. 29. in fin. Portell. in addit. ad dubia regul. verbo Lex, n. 13. vbi sic asserit: [Iuxta communioem sententiam nunquam poena vnius legis, & vnius casus est extendenda ad casum alium, etiam si in hoc secundo casu concurrat eadem ratio, vel maior ratio, seu maior malitia ipsius actus.] Ita ille: & ita etiam docet Ioannes Valerius in differ. viri, & fori, verbo Lex, differ. 5. n. 2. Bonacina de leg. disput. 1. q. 1. punct. 8. n. 23. qui citat Sayrum, Suarez, & alios.

3. Vnde ex his apparet, quod ante Bullam Gregorij X. v. Confessarius sollicitaret puerum, non erat denunciandum: quia Bullae aliorum Pontificum erant latae contra sollicitantes feminas. Item, Bulla Gregorij X. I. contra Clericos Sodomitas, non extenditur contra Clericum abutentem femina in vase praepostero. Limitatur haec sententia a Bonacina, & Valerio, & in correlatiuis: & ideo in casum reuerentum sodomiae incurrit, tam agens, quam patiens.

RESOL. LXXX.

An si quis ex rebus prohibitis a lege extrahat in graui quantitate, licet damnum graue ex tali facto non proveniat Reipublicae, peccet mortaliter?

Et explanatur, ex qua mercium exportatione censetur graue damnum Reipublicae facere? Ex p. 3. tr. 6. & Mil. 2. Ref. 90.

Verbi gratia, lex prohibet ne arma, neque pecunia, aut aliae merces ex Regno extrahantur, vel ne triticum coactum vendatur, queritur an si in graui quantitate haec fiant ab aliquo, peccet lethaliter, quamuis damnum graue ex tali asportatione Reipublicae non sequatur. Et affirmatiue sententiam tenet Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 8. & alij, quia in tali casu non debet spectari quale damnum sequatur vno contraveniente, sed quale si a multis, & communiter fiat. Deinde alias finis legis frustraretur, nam nullus de supradictis rebus tantam quantitatem extrahit, ut ex tali facto ingens damnum Reipublicae sequatur: Ergo, &c.

2. His tamen non obstantibus nouissime contrariam sententiam docet Castus Palaus in opere morali, tom. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 7. num. 6. vbi sic ait. Existimo exportationem mercium, diuitiarum, armorum, & similibus ex ciuitate, tunc solum peccatum mortale esse, quando ex tali asportatione ciuitas damnum graue pateretur; quia tota ratio huius prohibitionis, ut suppono, est vitatio damni Reipublicae: ergo dum Reipublica grauius non damnificatur, non peccatur grauius aduersus huiusmodi prohibitionem. Secundo sequeretur, ex opposita sententia asportare quantitatem de se sufficere ad furtum, esse peccatum mortale aduersus hanc legem, quod videtur ridiculum; quia illa quantitas de se grauis est, & si passim, & communiter a multis asportaretur, non est dubium ciuitatem fore accepturam graue damnum, ergo peccaretur grauius aduersus